

mini quia ego dixi vobis, alleluia.

Oratio. Omnipotens sempiternus Deus, ut supra.

Et fit Commem. de Ascensione. Antiphona. O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos: sed mitte protectum Patris in nos, Spiritum veritatis, alleluia. **V.** Ascendit Deus in jubilatione, alleluia. **R.** Et Dominus in voce tubæ, alleluia.

Oratio. Concede quæsumus, 541.

FERIA SECUNDA

Post Dominicam infra Octavam Ascensionis.

In primo Nocturno.

De Epistola prima beati Joannis Apostoli.

Lectio i.

V. Adete qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Charissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tollerit: & peccatum in eo non est. Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

R. Post passionem suam per dies quadraginta apparet eis, & loquens de regno Dei, alleluia. **V.** Et videntes illis elevatus est, alleluia: & nubes suscepit eum ab oculis eorum, alleluia. **V.** Et convalescens, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et.

Lectio ii.

Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est: sicut & ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus justa.

R. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: & Species ejus in nubibus cœli, & nomen ejus in æternum permanet, alleluia. **V.** A summo cœlo egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus. Species ejus.

Lectio iii.

Nolite mirari fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & videt fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

R. Exaltare Domine, alleluia. **V.** In vir-

virtute tua, alleluia. **V.** Elevata est magnificentia tua super cœlos Deus. In virtute. Gloria Patri. In virtute.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi. Sermones 1. de Ascensione Domini, tom. 3.

Lectio iv.

Christus ascendens in cœlum, nostræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratum est Pater, quod & tanta dignitas offerbat, & quod offerbatur, nullam maculam foedabatur. Nam & suis manibus suscepit oblatum, & suæ sedis fecit esse participem, & quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocavit. Cognoscimus quis est ille qui audivit, Sede ad dexteram meam: quæ natura est cui Deus dixit, Esto meæ participes sedis. Illa natura est quæ audivit, Terra es, & in terram ibis.

R. Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit, dicit Dominus: nolite contristari, nec turbetur cor vestrum: **R.** Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, alleluia, alleluia. **V.** Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum. Rogo.

Lectio v.

Non enim ad omnem gloriam cœlos transisse suffecerat, non cum Angelis stare: sed cœlos transiit, supra Cherubim ascendit, ultra Sêraphim elevatur, nec ante stetit, nisi sedem Dominicam meruisset. Vide quo spatio cœlum separatur a terra, immo terra quanto ab inferis abest, & ipsum cœlum quanto ab altiore cœlo separatur, & de altiore cœlo ad Angelos quantum spatium est, ad superiores etiam Potestates, ipsam quoque Dominicam sedem. Super hæc omnia natura nostra elevata est, ut homo qui loco tam humiliter tenebatur, ut descendere non posset ulterius, ad tam excelsam sedem elevaretur, ut altius non posset ascendere.

R. Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, & cum assumptus fuero à vobis, mittam vobis, alleluia. **V.** Spiritum veritatis, & gaudebit cor vestrum, alleluia. **V.** Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum.

Lectio vi.

Et hæc ostendens Paulus dicebat: Qui descendit, ipse est qui ascendit. Et iterum: Descendit ad inferiora terræ, & ascendit super omnes cœlos. Discite igitur quisnam ascendit, & quæ natura elevata est. In hoc enim generis commemoratio, divini clemensiam cum omni admiratione discamus, quæ summum honorem, magnamque gloriam nostræ naturæ largita est, quæ omnibus hodiernæ die meruit excelsior reperiri. Hodiæ Angeli, atque Archangeli naturam nostram in sede Dominica immortalis gloriæ fulgentem viderunt.

R. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, **V.** Dedit dona hominibus, alleluia, alleluia, alleluia. **V.** Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ. Dedit. Glória Patri. Dedit.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Cap. 16.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus: & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia illi, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia Sancti Gregorii Papæ. Ex eadem Homilia 29.

Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. In veteri testamento cognovimus, quod Elias sit raptus in cœlum. Sed aliud est cœlum

lum aëreum, aliud ethereum. Cœlum quippe aëreum terre est proximum: undè & aves cœli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cœlum itaque aëreum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terre regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis, & spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat. Ille enim mortem distulit, non evasit: Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eamque resurgens consumpsit, & resurrectionis suæ gloriâ ascendendo declaravit.

R. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. **V.** Ut maneat vobiscum in æternum, Spiritus veritatis, allelûa. **V.** Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut maneat.

Lectio viii.

Notandum quoque est, quòd Elias in curru legitur ascendisse: ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa & ostensa sunt adiumenta: quia nec in cœlum quidam aëreum per se ascendere poterat, quem natura suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur: quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia suâ virtute ferebatur. Illo etenim revertebatur, ubi erat: & inde redibat, ubi remanebat: quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam, & terram pariter continebat & cœlum.

R. Ponis nubem ascensionis tuam Dômine, **V.** Qui ambulas super pennas ventorum, allelûa. **V.** Confessionem & decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum. Qui ambulas. Glôria Patri. Qui.

Lectio ix.

Sicut autem Joseph à fratribus venditus, venditionem Redemptoris nostri figuravit: sic Henoch translatus, atque ad cœlum aëreum Elias sublevatus, ascensionem Dominicam uterque designavit. Ascensionis ergo suæ Dôminus prænotios & testes habuit, unum ante legem, alium sub lege: ut quandoque veniret ipse qui veraciter cœlos penetrare potuisset. Undè & ipse ordo in eorum quoque utrorumque sublevatione per quædam incrementa distinguitur. Nam Henoch translatus, Elias verò ad cœlum subvectus esse memoratur: ut veniret postmodum qui Parâclitus, nec subvectus, cœlum ethereum suâ virtute penetraret.

Te Deum laudamus. 13.

FERIA TERTIA.

In primo Nocturno.

De Epistola prima beati Joannis Apostoli.

Lectio i.

Cap. 4.

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophete extierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis filii, & vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt: idè de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritum erroris.

R. Post passionem suam per dies qua-

quadraginta apprensus est, & loquens de regno Dei, allelûa: **V.** Et vidētibus illis elevatus est, allelûa: & nubes suscepit eum ab oculis eorum, allelûa. **V.** Et convalescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et vidētibus.

Lectio ij.

Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus Charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, & resificamur quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.

R. Omnis pulchritudo Dômini exaltata est super sidera: **V.** Species ejus in nubibus cœli, & nomen ejus in æternum permanet, allelûa. **V.** A summo cœlo egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus. Species.

Lectio iij.

Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognovimus, & credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus Charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus

Pars Hyemalis.

in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor penam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

R. Exaltare Dômine, allelûa. **V.** In virtute tua, allelûa. **V.** Elevata est magnificentia tua super cœlos Deus. In virtute. Glôria Patri. In virtute.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Maximi Episcopi. Homilia 43. qua est 2. de Pentecoste, ante medium.

Lectio iv.

Meminit sanctitas vestra quod aquila illi de Psalterio, cuius innovatam juventutem legimus, comparaverim Salvatorem. Est enim similitudo non parva. Sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit: ita & Salvator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petit, cœlorum fastigia penetravit. Et sicut aquila relictis terrenis sordibus, sublime volans, purioris aeris salubritate perficitur: ita & Dôminus terrenorum fecem deserens peccatorum, in sanctis suis volitans, purioris vitæ simplicitate lætatur.

R. Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit, dicit Dôminus: nolite contristari, nec turbetur cor vestrum: **V.** Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, allelûa, allelûa. Mm

luia. **V.** Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum. Rogo.

Lectio vj.

Per omnia igitur aquila comparatio conuenit Salvatori. Sed quid facimus quod aquila praedam frequenter diripit, tollit frequenter alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est Salvator. Praedam enim quodammodo sustulit, cum hominem quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad caelum, & alienae dominationis, id est, diabolicae potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad aeterna captiuum, sicut scriptum est in Propheta: Ascendens in altum, captiuum duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

R. Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, & cum assumptus fuero à vobis, mittam vobis, alleluia. **V.** Spiritum veritatis, & gaudēbit cor vestrum, alleluia. **V.** Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum.

Lectio vij.

Ascendit, inquit, in altum, captiuum duxit captiuitatem. Quam bene triumphum Domini Propheta describit! Solēbat, sicut dicunt, regum triumphantium currus, captiuorum pompā praecedere. Ecce Dominum euntem ad caelos non praecedit, sed comitatur gloriosa captiuitas, non ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit Salvatorem. Quodam enim mysterio dum Filius Dei filium hominis sustulit ad caelum, ipsa captiuitas portatur, & portat.

R. Ascendens Christus in altum, captiuum duxit captiuitatem, **V.** Dedit dona hominibus, alleluia, alleluia, alleluia. **V.** Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubae. Dedit. Gloria Patri. Dedit.

In tertio Nocturno.
Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Cap. 16. c.**Lectio vij.**

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus: & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia illi, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia Sancti Gregorii Papae.

Ex eadem Homilia 29.

Considerandum nobis est, quid est quod Marcus ait: Sedet à dextris Dei, & Stephanus dicit: Video caelos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. Quid est quod hunc Marcus sedentem, Stephanus verò stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere iudicantis est, stare verò pugnantis vel adiuvantis.

R. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, **V.** Ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, alleluia. **V.** Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut maneat.

Lectio viij.

Quia ergo Redemptor noster assumptus in caelum, & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium veniet: hunc post assumptionem Marcus sedere describit: quia post ascensionis suae gloriam, iudex in fine videbitur. Stephanus verò hunc in labore certaminis positum, stantem vidit, quem adiutorem habuit: quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de caelo illius gratia pugnavit.

R. Ponis nubem ascensum tuum Domine, **V.** Qui ambulat super penas ventorum, alleluia. **V.** Confessionem & decorem induisti, amicum lumen sicut vestimentum. Qui ambulat, Gloria Patri. Qui ambulat.

Lec-

Lectio ix.

Sequitur: Illi autem profecti praedicauerunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Quid in his considerandum est, quid memoriae commendandum: nisi quod praecceptum obedientiae, obedientiam vero signa secuta sunt? Sed quia, auctore Deo, breviter lectionem Evangelicam exponendo transcurrimus, restat ut aliquid de ipsa tantae consideratione solemnitate dicamus.

Te Deum laudamus. 13.

FERIA QUARTA.**In primo Nocturno.**

Incipit Epistola secunda beati Joannis Apostoli.

Lectio j.

Senior Electae dominae, & natus eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui cognoverunt veritatem, propter veritatem, quae permanet in nobis, & nobiscum erit in aeternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Jesu Filio Patris in veritate, & charitate. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.

R. Post passionem suam per dies quadraginta apprensus eis, & loquens de regno Dei, alleluia: **V.** Et videntibus illis elevatus est, alleluia: & nubes suscepit eum ab oculis eorum, alleluia. **V.** Et convalescens, praecipit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et.

Lectio ij.

Et haec est charitas, ut ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo

ambulatis: quoniam multi seductores exierunt in mundum, & non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & antichristus. Videte vosmetipsos, ne perdati quae operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.

R. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: **V.** Species eius in nubibus caeli, & nomen eius in aeternum permanet, alleluia. **V.** A summo caelo egressio eius, & occurrus eius usque ad summum eius. Species eius.

Lectio iij.

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui ut gaudium vestrum plenum sit. Salutate te filii sororis tuae Electae.

R. Exaltare Domine, alleluia, **V.** In virtute tua, alleluia. **V.** Elevata est magnificentia tua super caelos Deus. In virtute. Gloria Patri. In virtute.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Gregorii Nysseni.

Oratione de Ascensione Domini.

Lectio iv.

Hodiernam celebritatem satis per se magnam, propheta David majorem efficit, dum illi gaudium è Psalmis adiungit. Hic enim excelsus Propheta supra seipsum egressus, tanquam corporis onere nihil prematur, infert se caelestibus potestatibus, & voces earum nobis exponit, cum in caelum redeuntem Dominum ipsae comitantes, Angelis, qui versantur in ter-

Mm 2

ris,

ris, quibusque in humanam vitam ingressus commissus est, imperant ad hunc modum: Tollite portas principes vestras, & elevamini portae aeternales, & introibit Rex gloriae.

R. Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit, dicit Dominus: nolite contristari, ne turbetur cor vestrum: Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, alleluia, alleluia.

V. Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet: cum assumptus fuero, mitam vobis eum. Rogo.

LECTIO V.

Et quoniam ubicumque fuerit ille, qui in seipso omnia continet, pro suscipientium capti seipsum dimittit: neque enim solum inter homines homo fit, verum etiam dum inter Angelos versatur, ad illorum vocem sese demittit: idcirco janitores interrogant: Quis est iste Rex gloriae? Respondent ipsis, demonstrantque fortem & potentem in praelio, qui pugnaturus erat contra illum, qui naturam humanam in servitute captivam detinebat, & eversurus eum qui mortis habebat imperium; ut gravissimo hoste superato, genus hominum in libertatem, & pacem vindicaret.

R. Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, & cum assumptus fuero ad vobis, mitam vobis, alleluia, Spiritum veritatis, & gaudabit cor vestrum, alleluia. **V.** Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum.

LECTIO VI.

Occurrunt ei custodes, & portas jubent recludi, ut in ipsis rursus gloriam assequatur. Verum non agnoscunt eum, qui sordidam vitae nostrae stolam indutus est, cujus rubra sunt vestimenta ex humanorum malorum torculari. Itaque rursus comites ejus vocibus illis interrogant: Quis est iste rex gloriae? Respon-

detur autem non amplius: Fortis & potens in praelio: sed Dominus virtutum, qui mundi principatum obtinuit, qui summam omnia in se colligit, qui pristinum in statum cuncta restituit, ipse est Rex gloriae.

R. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus, alleluia, alleluia. **V.** Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubae. Dedit dona. Gloria Patri. Dedit dona.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Cap. 16. c.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus: & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia illis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia Sancti Gregorii Papae.

Ex eadem Homilia 29.

Hoc autem nobis primum querendum est, quidnam sit quod nato Domino apparuerunt Angelis, & tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino missi Angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. Sic etenim scriptum est: Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in caelum euntem illum, ecce duo viri steterunt juxta illos in vestibus albis. In albis autem vestibus, gaudium & sollemnitatis mentis ostenditur. Quid est ergo quod nato Domino, non in albis vestibus; ascendente autem Domino, in albis vestibus Angelis apparent: nisi quod tunc magna sollemnitatis Angelis facta est, cum caelum Deus homo penetravit? Quia nascente Domino videbatur divinitas humilitata; ascendente vero Domino est humanitas exal-

exal-

ta. Albae etenim vestes exaltationi magis congruunt, quam humilitationi.

R. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, **V.** Ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, alleluia. **V.** Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut. **Lectio vii.**

In ascensione ergo ejus Angeli in albis vestibus videri debuerunt: quia qui in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Sed hoc nobis magnopere, fratres charissimi, in hac sollemnitate pensandum est: quia delictum est hodierna die chirographum damnationis nostrae, mutata est sententia corruptionis nostrae. Illa enim natura cui dictum est: Terra es, & in terram ibis hodie in caelum ivit. Pro hac ipsa namque carnis nostrae sublevatione, per figuram beatus Job Dominum avem vocat. Quia enim ascensionis ejus mysteriorum Judaeam non intelligere conspexit, de infidelitate ejus per figuram beatus Job sententiam protulit, dicens: Semitam ignoravit avis.

R. Pone nubem ascensum tuum Domine, **V.** Qui ambulat super penas ventorum, alleluia. **V.** Confessionem & decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum. Qui ambulat. Gloria Patri. Qui.

LECTIO IX.

Avis enim recte appellatus est Dominus, quia corpus carneum ad aethera libravit. Cujus avis semitam ignoravit quisquis eum ad caelum ascendisse non credidit. De hac sollemnitate per Psalmistam dicitur: Elevata est magnificentia tua super caelos. De hac rursus ait: Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubae. De hac iterum dicit: Ascendens in altum captivam duxit

captivitatem, dedit dona hominibus. Ascendens quippe in altum, captivam duxit captivitatem: quia corruptionem nostram virtute sua in corruptionis absorbit. Dedit vero dona hominibus: quia misso desuper Spiritu, alii sermonem sapientiae, alii sermonem scientiae, alii gratiam virtutum, alii gratiam curacionum, alii genera linguarum, alii interpretationem tribuit sermonum.

Te Deum laudamus. 13.
Ad Vesperas, Duplex: omnia ut in primis Vesperis Festi. 523.

IN OCTAVA Ascensionis.

Omnia sicut in die, 523. praeter Lectiones, quae leguntur ut infra. In primo Nocturno.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

LECTIO I.

Cap. 4.

Obsecro itaque vos ego vincitus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Unicusque autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. In propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.

R. Post passionem suam per dies quadraginta apprensus est, & loquens de regno Dei, alleluia: **V.** Et videntibus illis elevatus est, alleluia: & nubes suscepit eum ab oculis eorum, alleluia. **V.** Et convalescens, praecipit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et

Lectio ij.

QUOD autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurrant omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

R. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: Species ejusin nubiis cæli, & nomen ejus in æternum permanet, alleluia. **V.** A somno cælo egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus. Species.

Lectio iij.

VERITATEM autem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subordinationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut iam non ambulatis, sicut & Gentēs ambulāt in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatē cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis.

R. Exaltare Dómine, alleluia. **V.** In virtute tua, alleluia. **V.** Elevata est magnificentia tua super caelos Deus. In virtute. Glória Patri. In virtute.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Episcopi. Serm. 3. de Ascensione Domini, qui est 176. de Tempore.

Lectio iv.

OMNIA, charissimi, quæ Dóminus Jesus Christus in hoc mundo sub fragilitate nostra miracula edidit, nobis proficiunt: qui dum humanam conditionem sideribus importavit, credentibus cælum patere posse monstravit: & dum victorem mortis in cælestia elevavit, victoribus quo sequantur ostendit. Ascensio ergo Domini, catholice fidei confirmatio fuit: ut securi in posterum crederemus miraculi illius donum, ejus jam in presenti percipissimus effectum: & fideis quisque cum jam tanta perciperit, per ea quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa, ac Dei sui præteritam presentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem.

R. Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit, dicit Dóminus: nolite contristari, nec turbetur cor vestrum: Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, alleluia, alleluia. **V.** Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum, Rogo.

Lectio v.

SUPER excelsa ergo cæli terrænum corpus imponitur, ossa intra sepulchri angustias paulo antè conclusa Angelorum cœtibus inferuntur, in græmium immortalitatis mortalis naturæ transfunditur, & ideo sacra Apostolica lectionis testatur historia: Cùm hæc dixisset, inquit, videntibus illis elevatus est. Dum audis elevatum, agnosce militiæ cœlestis obsequium: undè hodierna festi-

tivitas, hominis nobis & Dei sacramenta manifestavit. Sub una eademque persona, in eo qui elevat, divinitam potentiam, in eo autem qui elevatur, humanam cognosce substantiam. **R.** Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, & cum assumptus fuero à vobis, mittam vobis, alleluia. **V.** Spiritum veritatis, & gaudebit cor vestrum, alleluia. **V.** Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum.

Lectio vj.

IDEOQUE omnimodis detestanda sunt venena Orientalis erroris, qui impiâ novitate præsumit asserere Filium Dei ac Filium hominis unius esse naturæ. In alterutra enim parte, vel qui solum hominem fuisse dixerit, negabit Conditoris gloriâ; vel qui solum Deum, negavit misericordiam Redemptoris. Quo genere non facile Arianus Evangelicam poterit habere veritatem, ubi Filium Dei nunc æqualem legimus, nunc minorem. Qui enim unius naturæ Salvatorem nostrum mortiferâ persuasionē crediderit, solum hominem, aut solum Deum cogitur dicere crucifixum. Sed non ita est. Mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset.

R. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, alleluia, alleluia, alleluia. **V.** Ascendit Deus in jubilatione, & Dóminus in voce tubæ. Dedit. Glória Patri. Dedit.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij.

Cap. 16. c

IN illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus: & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Ex eadem Homilia 29.

DE hac ascensionis ejus gloriâ etiam Habacuc ait: Elevatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo. Quis enim Solis nomine nisi Dóminus? & quæ Lunæ nomine nisi Ecclesiâ designatur? Quosque enim Dóminus ascendit ad caelos, sancta ejus Ecclesiâ adversa mundi omnimodo formidavit: at postquam ejus ascensione roborata est, apertè prædicavit, quod occultè credidit. Elevatus est ergo Sol, & Luna stetit in ordine suo: quia cùm Dóminus cælum petiit, sancta ejus Ecclesiâ in auctoritate prædicationis excrevit. **R.** Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. **V.** Ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, alleluia. **V.** Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut maneat.

Lectio viij.

HINC ejusdem Ecclesiæ voce per Salomónem dicitur: Ecce iste venit saliens in montibus, transiens colles. Consideravit namque tantorum operum culminam, & ait: Ecce iste venit saliens in montibus. Veniendo quippè ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos ejus saltus agnoscere? De cælo venit in úterum, de útero venit in præseppe, de præseppe venit in crucem, de crucem venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cælum. Ecce ut nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem Veritas dedit: quia exultavit ut gigas ad currendam viam suam, ut nos ei diceremus ex corde: Trahe nos post te, currémus in odorem unguentorum tuorum.

R. Ponis nubem ascensum tuum, Dómine, Qui ambulat super pen-

Mm 4

nas

nas ventōrum, allelūia. **Y.** Confessionem & decorem induisti, amicus lumen sicut vestimentum. Qui ambulas. Glōria Patri. Qui.

Lectio ix.

Undē, fratres charissimi, oportet ut illic sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrēna fugiamus: nihil nos jam delēctet in infimis, qui Patrem habemus in caelis. Et hoc nobis est magnopere perpendendum: quia is, qui placidus ascendit, terribilis rediit: & quidquid nobis cum mansuetudine praecepit, hoc à nobis cum districtiōne exigit. Nemo ergo indulta poenitentia tempora parvipendat, nemo curam sui, dum valet, agere negligat: quia Redēptor noster tanto tunc in iudicium districtior veniet, quanto nobis ante iudicium magnam patientiam praerogavit.

Te Deum laudamus. 13.

In secundis Vesperis non fit Commemoratio Officii sequentis diei.

Duobus sequentibus diebus Officium fit sicut infra Octavam Ascensionis, exceptis Lectionibus, quae habentur propriae. & **R. viii.** Capitulis, Antiphonis ad Benedictus, & Magnificat, & Oratione, quae dicuntur de Dominica infra Octavam Ascensionis, supra. 54. Et non dicuntur Preces ad Primam, & Completorium.

Si vero Feria vi. occurrat Festum ix. Lectionum, fit de Festo cum Commemoratione Officii eiusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus.

FERIA SEXTA

Post Octavam Ascensionis.

In primo Nocturno.

Incipit Epistola tertia beati Joannis Apostoli.

Lectio j.

Sentor Gajo charissimo, quem ego diligo in veritate. Charissime, de omnibus orationem facio prospere

re te ingredi, & valere, sicut prospere agit anima tua. Gavisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuae, sicut tu in veritate ambulas. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.

R. Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, allelūia: **•** Et videntibus illis elevatus est, allelūia: & nubes suscepit eum ab oculis eorum, allelūia. **Y.** Et convalescens, praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et.

Lectio ij.

Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinis, qui testimonium reddiderunt charitati tuae in conspectu Ecclesiae: quos, benefaciens, deduces dignē Deo. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan Ecclesiae: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrefes, non recipit nos: propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quae facit: verbis malignis garrions in nos: & quasi non est ista sufficient: neque ipse suscipit fratres: & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiecit.

R. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: **•** Species ejus in nubibus caeli, & nomen ejus in aeternum permanet, allelūia. **Y.** A summo caelo egressio ejus, & occurus ejus usque ad summum ejus. Species.

Lectio iij.

Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium

per-

perhibemus: & nosti quoniam testimonium nostrum verum est. Multa habui tibi scribere, sed nolui peratramentum, & calamus scribere tibi. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim. **R.** Exaltare Domine, allelūia. **•** In virtute tua, allelūia. **Y.** Elevata est magnificentia tua super caelos Deus. In virtute. Glōria Patri. In virtute.

In secundo Nocturno.

De Sermonē S. Augustini Episcopi. Ex eodem Sermonē 176. in fine.

Lectio iv.

Salvator noster, charissimi, si non in nostra carne diabolum triumphavit, se exereuit, non nobis vicit. Si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostra resurgendo nihil contulit. Haec qui dicit, suscipit & assumptae carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, evacuat utilitatem. Si non in nostra carne peregit medicinam, solam ergo ex homine nascendo elegit injuriam. Recedat à sensibus nostris tam periculosa persuasio. De nostro est quod appendit, de suo est quod donavit. Meum testor esse quod cecidit, ut meum sit quod resurrexit. Meum testor esse quod jacuit intra tumulum, ut meum sit quod ascendit in caelum.

R. Tempus est, ut revertat ad eum qui me misit, dicit Dominus: nolite contristari, nec turbetur cor vestrum: **•** Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, allelūia, allelūia. **Y.** Nisi ego abiero, Paraclitus non venit: cum assumptus fuero, mittam vobis eum. Rogo.

Lectio v.

In illo itaque nostri generis corpore nos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensionem consecravit. In illo nostra originis corpore caelestium regnis arrham

nostrae conditionis impoſuit. Elaborationem nostrum verum est. Multa habui tibi scribere, sed nolui peratramentum, & calamus scribere tibi. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim. **R.** Exaltare Domine, allelūia. **•** In virtute tua, allelūia. **Y.** Elevata est magnificentia tua super caelos Deus. In virtute. Glōria Patri. In virtute.

R. Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, & cum assumptus fuero à vobis, mittam vobis, allelūia, **•** Spiritum veritatis, & gaudēbit cor vestrum, allelūia. **Y.** Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum.

Lectio vi.

De vitis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis auctore non ascendit malitia, nec cum Filio Virginis libido atque luxuria. Non, inquam, ascendunt vitia post virtutum parentem, peccata post iustum, nec infirmitates ac morbi possunt ire post medicum. Igitur si intrare ipsius medici regnum volumus, prius vulnera nostra curemus. Ordinem & custodiāmus in nobis statum utriusque substantiae, ne animam, nobiliorē vitae hominis portionem, tartaro pars devolvat inferior, sed secum potius caelo sanctificatum corpus acquirat natura gloriosior: ipso adjuvante, qui vivit & regnat in saecula saeculorum: Amen.

R. Ascendens Christus in altum, captivum duxit captivitatem, **•** Dedit dona hominibus, allelūia, allelūia, allelūia. **Y.** Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubae. Dedit dona. Glōria Patri. Dedit.

In

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 15. d

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tractata 92. in Joannem, circa medium.

Venit die Pentecostes Spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus & Apostoli omnes erant: qui illo adimpleti, cum linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his qui aderant, tanto miraculo stupefacti, (quandòquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque divinum testimonium perhiberi à Christo, ut ille qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisset & vivere probaretur) compuncti corde conversi sunt, & tanti sanguinis tam impie atque immaniter fusi, indulgentiam perciperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt.

R. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. **V.** Ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, alleluia. **V.** Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut maneat.

Lectio viij.

Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est. Hoc ergo intuens Dominus dicebat, Odio habuerunt me gratis: Cum autem venerit Paraclitus, ille testimonium perhibebit de me. Tamquam diceret, Odio me habuerunt,

& occiderunt videntes: sed tale de me Paraclitus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. Et vos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Perhibebit Spiritus sanctus, perhibebitis & vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis predicare quod nostis: quod ut modo non faciatis, illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis.

R. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. **V.** Cum autem venerit ille, docetis vos omnem veritatem, alleluia. **V.** Non enim loquetur à semetipso: sed quaecumque audit, loquetur: & quae ventura sunt annuntiabit vobis. Cum autem. Gloria Patri. Cum autem.

Lectio ix.

Ille ergo testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis: dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitatis Dei diffusa in cordibus vestris, per Spiritum sanctum qui dabitur vobis. Quae utique Petro adhuc defuit, quando mulier ancillae interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere, sed contra suam pollicitationem timore magno compulsus est ter negare. Timor autem iste non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Denique ante passionem Domini, servilis timor eius interrogatus est à femina servitutus: post resurrectionem verò Domini, liberalis eius amor ab ipso principe libertatis: & ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur; ibi quem dillexerat, negabat; hic quem negaverat, diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat & angustus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus sanctus.

Te Deum laudamus. 13.

SAB-

SABBATO

In Vigilia Pentecostes.

Ab hac die usque ad Festum Trinitatis inclusivè, si occurrat Festum novem Lectionum transfertur post praedictum Festum Trinitatis.

In primo Nocturno.

Incipit Epistola Catholica beati Judae Apostoli.

Lectio j.

Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his, qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Jesu conservatis & vocatis. Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habuit scribere vobis: deprecans supercitari semel tradita Sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim praescripti sunt in hoc iudicio) impii, Dei nostri gratiam, transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.

R. Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, alleluia: **V.** Et videntibus illis elevatus est, alleluia: & nubibus suscepit eum ab oculis eorum, alleluia. **V.** Et convalescens, praecipiens eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et.

Lectio ij.

Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Aegypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit: Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicio magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit. Sicut Sòdòma, & Gomòrrha, & finitimae civitates simili modo exornicatae, & abeuntes post carnem alteram factae sunt exemplum, ignis aeterni

penam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

R. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: **V.** Species ejus in nubibus caeli, & nomen ejus in aeternum permanet, alleluia. **V.** A summo caelo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus. Species.

Lectio iij.

Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercarètur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiam: sed dixit: Imperet tibi Dominus. Hi autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant: quaecumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corruptuntur. Vae illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt: Hi sunt in epulis suis maculae, convivantes sine timore, semetipsos pascentes; nubes sine aqua, quae à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.

R. Exaltare Domine, alleluia. **V.** In virtute tua, alleluia. **V.** Elevata est magnificentia tua super caelos Deus. In virtute. Gloria Patri. In virtute.

In secundo Nocturno.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi de Symbolo ad Cathecumenos.

Lib. 4. cap. 1. tom. 9.

Lectio iv.

Dum per sacratissimum crucis signum vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia, quae sicut & fratres vestros cum summa laetitia spiritaliter pariet, nova proles futura tantae matris, quotisque per lavacrum sanctum regeneratos vere

lu-

luci restituit, congruis alimentis eos quos portat pascat in utero, & ad diem partus sui laetos leta perducatur: quoniam non tenetur haec sententia Hevae, quae in tristitia & gemitu parit filios, nec ipsos gaudentes, sed potius flentes. Haec enim solvit quod illa ligaverat, ut prolem quam per inobedientiam sui, morti donavit, haec per obedientiam restituit vitam. Omnia sacramenta quae acta sunt & aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicium, humilitate pedum, pavor ipse omni securitate appetendus: haec omnia, ut dixi, escae sunt, quae vos reficiunt in utero, ut renatos ex baptismo hilares vos mater exhibeat Christo.

R. Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit, dicit Dominus: nolite contristari, nec turbetur cor vestrum: **R.** Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, alleluia, alleluia. **V.** Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum. Rogo.

Lectio v.

Accepistis & Symbolum, protectionem parturientis contra venena serpentis. In Apocalypsi Joannis Apostoli scriptum est hoc, quod staret draco in conspectu mulieris quae partura erat, ut eum peperisset, natum ejus comederet. Draconem diabolum esse, nullus vestrum ignorat: Mulierem illam virginem Mariam integram integrum peperit: quae etiam ipsa figuram in se sanctae Ecclesiae demonstravit: ut quomodo filium pariens, virgo permansit: ita & haec omni tempore membra ejus pariat, & virginitatem non amittat. Ipsas sententias sacratissimi Symboli adjuvante Domino exponendas suscepimus, ut quid sin-

gula contineant, vestris sensibus intumescat. Parata sunt corda vestra, quia exclusus est inimicus de cordibus vestris.

R. Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, & cum assumptus fuero à vobis, mittam vobis, alleluia, **V.** Spiritum veritatis, & gaudere debet cor vestrum, alleluia. **V.** Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum.

Lectio vi.

Huc vos renuntiare professi estis: in qua professione, non hominibus, sed Deo, & Angelis ejus conscribentibus dixistis, Renuntio. Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus: non tantum sono linguae, sed & actu vitae: nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo & veteroso inimico suscepisse certamen: non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, ne jure vos attrahat in servitum suam. Deprehenderit enim & detegeris Christianae, quando aliud agis & aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuae fidem: modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti?

R. Ascendens Christus in altum, captivum duxit captivitatem, **R.** Dedit dona hominibus, alleluia, alleluia, alleluia. **V.** Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubae. Dedit. Gloria Patri. Dedit.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij.

Cap. 14. b

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo

Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. Tract. 74. & 75. in Joannem sub finem.

Quod ait, Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ostendit & seipsum esse Paraclitum. Paraclitus enim Latine dicitur advocatus; & dictum est de Christo: Advocatum habemus de Patre Jesum Christum justum. Sic autem mundum dixit non posse accipere Spiritum sanctum, sicut etiam dictum est: Prudentia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest: velut si dicamus: Injustitia justitia esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectores, quae dilectio non est à Patre. Et ideo dilectioni hujus mundi, de qua satagimus ut minuatur & consumatur in nobis, contraria est dilectio Dei, quae diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

R. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, **R.** Ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, alleluia. **V.** Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut maneat.

Lectio viij.

Mundus ergo eum accipere non potest, quia non videt eum, neque scit eum. Non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus sanctus potest, qui videri nisi invisibiliter non potest. Vos autem, inquit, cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Erit in eis ut maneat; non manebit ut sit: prius est enim esse alicubi, quam manere. Sed ne putarent quod dic-

tum est, Apud vos manebit, ita dictum quemadmodum apud hominem hospes visibiliter manere consuevit, exposuit quid dixerit. Apud vos manebit, cum adjunxit & dixit, In vobis erit.

R. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. **R.** Cum autem venerit ille, docebit vos omnem veritatem, alleluia. **V.** Non enim loquetur à semetipso: sed quaecumque audiet, loquetur: & quae ventura sunt annuntiabit vobis. Cum autem venerit. Gloria Patri. Cum autem.

Lectio ix.

Ergo invisibiliter videtur. Nec si non sit in nobis, potest esse in nobis ejus scientia: sic enim à nobis videtur in nobis & nostra conscientia. Nam faciem videmus alterius, nostram videre non possumus: conscientiam vero nostram videmus, alterius non videmus. Sed conscientia nunquam est nisi in nobis: Spiritus autem sanctus potest esse etiam sine nobis. Datur quippe ut sit & in nobis: sed videri & scribi quemadmodum videndus & sciendus est, non potest à nobis, si non sit in nobis. Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret quod ita eum Dominus daturus fuerit velut pro seipso, ut non & ipse cum eis esset futurus, adjecit atque ait: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Quamvis ergo nos Filius Dei suo Patri adoptaverit filios, & eundem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui ejus Pater est per naturam: tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quoadmodum demonstrat cum dicit: Non relinquam vos orphanos.

Te Deum laudamus. 13.

IN F E S T O
P E N T E C O S T E S .

AD VESPERAS.

Añ. Cùm complerentur, ut infra in Laudibus, 564. *Psalm.* Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 100. & loco ultimi, *Psalmus* Laudate Dóminum omnes Gentes, 104.

Capitulum. *Act.* 2.

Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonus, tamquam aduentus spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.

Hymnus.

Veni Crætor Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ grâtiâ,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paráclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, Cháritas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dextere,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus:
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones prótinus:
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxiùm.
Per te sciâmus da Patrem,
Noscâmus atque Filium;
Teque utriusque Spiritum
Credâmus omni tempore.
Deo Patri sit glória,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paráclito,
In sæculorum sæcula. Amen.
Sic terminântur Hymni usque ad
Vesperas Sabbati sequentis.



B.º Albertus, 1.º M.º

Y. Repléti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia. **R.** Et cœperunt loqui alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Non vos relinquam orphânos, alleluia: vado & venio ad vos, alleluia: & gaudébit cor vestrum, alleluia.

Oratio.

Deus, qui hodiernâ die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum. In unitate ejusdem Spiritus sancti.

D O M I N I C A

Pentecostes.

Ad Matutinum, Invitorium.

Alleluia, Spiritus Dómini replevit orbem terrarum: Venite, adoremus, alleluia. *Psalmus.* Venite, exultemus. 1.

Hymnus.

Jam Christus astra ascenderat,
Reversus undè venerat,
Patris fructum munere
Sanctum daturus Spiritum.
Sólennis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies,
Signat beata tẽpõra.
Cùm lucis horâ tertiâ
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus
Deum venire nunciat.
De Patris ergo lumine,
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat.
Implèta gaudet viscera,
Afflata sancto Spiritu,
Vocessque divèrsas sonant,
Fantur Dei magnalia,